

Deitatis habitet in Christo *σωματικῶς* corporaliter: quia *Deitas τῷ λόγῳ* univit sibi corpus ita, ut illud undiq; circumplectatur & immet, ac veluti corporata facta sit, non tamen in corpus conversa. Hæc rectè notat Polanus.

THESIS VI.

Ita nimirum S. Patres cum totâ ecclesiâ catholicâ constanter docent, & hæc in re frequentissimè utuntur similibus illis *à ferro caudente, nec non ab animâ & corpore animato* desumptis. Quæ ut præfenti negotio accommodatissima sunt, & communionem naturarum in Christo non parum illustrant, ita diligenter consideranda veniunt. Athanasius in Symbolo ait: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Eodem modo loquitur Augustinus Epist. 57. ad Dardan. col. 272. Cyrillus in Epist. Synodicâ: *verbum in assumptâ naturâ talem sibi habitationem fecit, qualem & anima hominis habere creditur ad proprium corpus.* Rursus Augustinus in Epist. 3. ad Volusianum colum. 11. & 12. Deus cum homine uniri dignus est quodammodo, ut ei sic cooptaretur homo totus, quemadmodum animæ corpus, exceptâ concretione mutabili. Item: Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. Quam quidem ibi, ut & lib. 4. de Trinit. c. 13. & 20. mixturam & permixtionem vocat, servatâ tamen integritate naturarum. Sicut aëri lux incorrupta miscetur. Et negari non potest vocem *mixtionis & commixtionis*, in totâ antiquitate usitatissimam esse, qua prioribus seculis ante certamen Eutychnis tutò usi sunt Orthodoxi Patres, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Nazianzenus &c. sed posterioribus temporibus corrigere illas voces cepit ecclesia, & ab illis ob Eutychnianam naturarum confusionem abstinere maluit. Undè Cyrillus ait: *Non mixturâ confessionem aut *ἁρμῶν* substantiæ λόγῳ ad carnem factam desinimus, sed dicimus carni unitum verbum, sed ultra mentem & ineffabiliter, ut solus ipse novit.* Interim similitudo illa, iudice Augustino, elegans est, cognitu necessaria, percommoda, & nobis familiarissima. *Anima suâ unione totum corpus undiq; permeat, ut tota sit in toto corpore, & in singulis membris tota sit, ac corpus in illâ unione animæ suam habeat immanentiam, ita, ut hoc modo anima potentias, vires, & facultates suas singulis membris convenientes communicet, in illis & per illa operetur & efficax sit.*

Athanasius.

Simile de
Communione
Animæ &
corporis in
animato.

Cyrillus
Augustinus.

THESIS